

alii. Additur tamen notanter in data conclusione, «regulariter est prohibita,» propter illico dicenda: unde

17. *In pluribus tamen casibus sequestratio necessaria est permessa.* — Resp. III. His tamen non obstantibus dantur nonnulli casus, in quibus æquitate sic suadente (ne scilicet iudicium reddatur elusorium, et actor re litigiosa per reum jam dilapidata post obtentam in causa victoriam nihil obtineat; aut, ne alia graviora incommoda eveniant) jus ipsum permittit, fieri sequestrationem necessariam. Ita communis; et patet referendo principales hosce casus cum Glossa in c. *Dilectus*, §. *Sequestrari*, h. t. et Abbate ibid. n. 7, et seqq. et Hostiensis in Summa, n. 4, eod. Sannig h. t. cap. III, et alii passim. Et quidem

18. *I. Quando reus dissipat fructus, quos conservare debet.* — I. Sequestratio necessaria potest ad instantiam alterius partis per iudicem fieri, quando reus dissipat fructus, quos conservare debet, c. *Dilectus*, et cap. ult. h. t. Et hic casus comprehendit sub se plures alios, ubi quis tenetur fructus conservare, et tamen eos indebite alienat, dissipat seu depopulatur; ut can. *Quoties post auditam*, 2, q. 1, juncta Glossa §. *Sequestranda*, ubi jubetur fieri sequestratio, quando possessor victus appellat, et incipit dissipare fructus, vel alienare. Si enim tunc ob talem ejus dilapidationem non possent durante lite fructus sequestrari, hæc sententialiter decisa actor, reportans pro se sententiam finalem, nihil lucraretur nisi verba, dum fructus ab adversario jam fuissent dilapidati: ne igitur istud fiat, tunc æquitate naturali sic suadente jura admittunt sequestrationem. Quanquam, ut fiat sequestrum propter dilapidationem, oportet hanc prius probari, arg. d. c. *Dilectus*, h. t. ibi: «Si est ita:» ac notat Abbas ibid. n. 22.

19. *II. Quando petitur res mobilis, et persona est suspecta, ne fugiat cum ea.* — II. Sequestratio locum habet, quando petitur res mobilis, et persona est suspecta, quod cum ea agiat. Patet hoc ex l. *Si fidejussor*. §. *Si satisfidatum*, ff. *Qui satisfidare cogantur*, ubi ejusmodi res mobilis, quam quis a persona suspecta petit, auctoritate judicis deponenda dicitur apud officium (hoc est, apud officiales) donec vel sufficiens satisfidatio, vel lis finem accipiat. Concordat textus in l. *Senatus-Consulto*, juncta Glossa §. *Et deponatur*, ff. *de Officio præsid.* Atque suadet hoc ipsum ex

æquitate naturali proxime insinuata: nam reo cum re mobili litigiosa aufugiente, redderetur pariter iudicium elusorium; cum non amplius adesset, quod actori in causa victenti daretur.

20. *Personam taliter suspectam esse, ex quatuor mediis probari potest; et quibus?* — Cæterum, quod persona aliqua super re mobili conventa censeatur suspecta, ita ut ex hoc capite, sive ad præcavendam fugam illius cum re litigiosa, licite fiat sequestratio: ex sequentibus quatuor mediis probari potest, quæ enumerat Glossa in cit. l. *Si fidejussor*. §. *Officium*, ff. *Qui satisfidare cogantur*: quam approbat Bartolus ibid. et sequuntur alii. Primum est, si persona de fuga suspecta, nulla possideat bona immobilia, argumento a sensu contrario desumpto ex l. *Sciendum*. §. 1, ff. *Qui satisfidare cog.* Alterum est, si pauca immobilia possideat, ita ut respective inopia laborare videatur, l. *Si creditores*, ff. *de Privileg. creditor.* Ad tertium medium probandi personam suspectam, pertinent mores mali, quos persona illa habet, eisque sese suspectam reddit, §. fin. *Instit. de Suspectis tutorib.* Quartum est, si prius male fecerit, aut male administraverit, c. *Semel malus*, de *Reg. jur.* in 6. et l. *Si cui*. §. *Eisdem*, ff. *de Accusation. cum similibus.*

21. *Non tamen est necesse, omnia quatuor conjunctim haberi.* — Porro ad probandam personam suspectam non est necesse omnia ista quatuor conjunctim haberi, imo quandoque sufficit alterutrum eorum juxta materiam subjectam, aut alias circumstantias. Abbas in cit. c. *Dilectus*, n. 9, h. t. et Bartolus in cit. l. *Si fidejussor*. §. *Si satisfidatum*, ff. *Qui satisfidare cogantur.*

22. *III. Si timetur de dilapidatione.* — III. Licite fit sequestratio, si timeatur de dilapidatione, l. *Imperatores*, §. fin. ff. *de Appellat.* ac notat Glossa et Abbas in d. c. *Dilectus*, n. 10, h. t. junctis dictis supra n. 18. Intellige tamen hunc casum conformiter proxime dictis, quando rationabiliter timetur de secutura dilapidatione: et hoc vel ob præsentem malos mores personæ, vel quia ante hæc dilapidaverat. Alioquin enim nemo præsumitur malus, sicque non habebit locum sequestratio, nisi successu temporis incipiat actu dissipare bona, vel fructus illorum.

23. *IV. In re dotali, et accedente justa causa.* — IV. In re dotali, et accedente alia justa causa, locum habet sequestratio. Nam si maritus vergat ad inopiam, aut ut vir nul-

lius frugi dotem uxoris dissipare incipiat, sequestratur dos; prout notatur, et amplius dicitur in c. *Per vestras*, 7, de *Donat. inter vir. et uxor.* et l. *Si cum dotem*. §. *Si vero*, ff. *Solutio matrim.* cum aliis juribus a Glossa in cit. c. *Dilectus*. §. *Sequestrari*, h. t. relatis. Hostiensis in Summa, n. 4, h. t. et alii. Id ipsum suadet æquitas naturalis: ne videlicet uxori innocenti gravissimum præjudicium ex socordia, vel malitia viri inferatur, si dos ipsius non sequestraretur.

24. *V. Quando appellatur ab executeore sententiæ diffinitivæ modum excedente.* — V. Sequestratio procedit, quando appellatur ab executione sententiæ diffinitivæ, eo quod executor modum executionis, sive dictæ sententiæ excedat. Et in tali casu, si lis fuerat de re mobili, ea aufertur reo, et apud sequestrum idoneum deponitur, postmodum reddenda ei, qui obtinebit: si autem lis erat de re immobili, sequestrantur fructus illius, similiter postea tradendi victori. Ita textus, et doctores in l. *Ab executeore*. C. *Quorum appellat. non recip.*

25. *VI. Si quis de possessione servitutis proclamet in libertatem.* — VI. Fit sequestratio, si quis de possessione servitutis proclamet in libertatem: nam sequestrantur res illæ, quas habere videtur. Et hoc merito: tum ne dominus ejusmodi res dissipet: tum quia oportet antea discutere, utrum ejusmodi res sunt domini, vel potius ejus, qui dicit se liberum. Patet hoc ex l. III, c. *Quibus ad libertatem proclamare*, etc. et l. I, §. *Super peculio*. C. *de Assertion. tollend.* et Glossa magna in l. un. c. *de Prohib. sequest.* et alia Glossa in c. *Dilectus*. §. *Sequestrari*, et Abbas ibid. n. 10, h. t. Hostiensis cit. n. 4 et alii.

26. *VII. Si colonus neget locationem.* — VII. Si colonus neget locationem, et contra dominum super dominio terræ litiget, tunc vel colonus tenetur satisfidare de restituendis fructibus, si succubuerit; vel fructus illi sequestrantur usque ad decisionem causæ, l. *Litibus*. C. *de Agriculis et censib.* lib. II.

27. *VIII. Si pendente lite super valore matrimonii ex parte mulieris timeatur de sævitia viri.* — VIII. Si pendente lite super valore matrimonii ex parte mulieris timeatur de sævitia viri, nec possit sufficienter caveri, aut securitati mulieris provideri: hæc non restituitur viro petenti, sed ab eo potius amovetur; sicque fit sequestratio aliqua, c. *Litibus*. 13, §. fin. *de Restitut. spoliat.*

28. *IX. Si timetur, ne sponsæ, de cujus matrimonio agitur, violentia inferatur, aut ipsa corrumpatur.* — IX. Si adest suspicio, seu justus timor, ne sponsæ, de cujus matrimonio contrahendo lis agitur, violentia quædam inferatur, sicque consensus ejus non sit omnino liber; vel subsit periculum, ne puella illa corrumpatur. Tunc enim debet iudex providere locum tutum et honestum, donec causa illa fuerit terminata; sicque quodammodo fit sequestratio ejus, c. *Cum olim*. 14, de *Sponsalib.* et c. *Causam matrimonii*, 14, de *Probat.* ubi talis puella jubetur poni in monasterio, quod antea intraverat, ut illi interim secure valeat commorari. Glossa in c. *Dilectus*. §. *Sequestrari*, et Abbas ibid. n. 10, h. t. Covarruvias part. II, de *Matrimonio*, cap. III, §. 6, n. 2, istud intelligens, sive inter duos viros sit contentio de matrimonio contrahendo, vel contracto; sive aliunde iudex intelligat, liberum puellæ consensum impediri, l. III, §. *Hoc interdictum*, ff. *de Libero homin. exhibend.* Aloys. Riccius part. I. *Praxis matrimonial.* resol. 227, n. 1 et 2, ubi addit, quod inter loca honesta, in quibus interim reponi possit puella sequestranda exploranda sua voluntate, præter monasterium etiam connumeratur domus materna: nisi forte instaret mater pro dissolutione matrimonii, prout fuit decisum in Rota in una Romana matrimonii, 29, apr. 1379, coram Illustr. Blanchetto.

29. *Vel si servi conqueratur de tyrannide dominorum suorum. Aut religiosi de suis prælatis.* — Hoc ipsum extenditur ad servos conquerentes de tyrannide dominorum suorum, timeaturque probabiliter, quod hac occasione, domini sæviant in illos, arg. l. §. 1 *Quod autem*, ff. *de Offic. præfecti Urbis.* et §. *Sed et major.* *Instit. de iis, qui sui vel alien. jur. sunt.* Idem ob paritatem rationis ampliatur ad religiosos qui conqueruntur de suis prælatis: quia etiam hos lite pendente debet iudex conservare illæsos, et si opus fuerit, sequestrare, arg. c. *Olim*, 26, de *Accusation.* Abbas cit. n. 10.

30. *X. Quando aliquid dicitur ablatum illi, qui est de familia judicis.* — X. Fit sequestratio, quando aliquid dicitur fuisse ablatum illi, qui est de familia judicis. Tunc enim, ne iudex judicet in facto familiæ suæ, sicque evadat suspectus, lis quidem contestatur; sed res ablata, super qua controversatur, interim sequestratur usque in adventum judicis suo-

cessoris, nisi sufficiens satisfactio fiat, l. *Senatus Consulto*. ff. de *Offic. præsid.*

31. XI. *Fit quandoque sequestratio fructuum rei petite, ob contumaciam.* — XI. Fit quandoque sequestratio fructuum rei petite ob contumaciam rei; idque ob varias circumstantias, talem sequestrationem fieri postulant; ut c. *Olim ex litteris*. 25. de *Rescript.* et c. *Ex litteris*. 2. de *Dolo et contum.* estque uberius dictum supra tit. XIV. de *dolo et contumacia*. n. 132 et 133. Hos undecim casus, in quibus æquitate sic suadente habet locum sequestratio, adducit Glossa in c. *Dilectus*. §. *Sequestrari*. h. t. una cum auctoribus hactenus allegatis, qui nonnullos alios casus superaddunt: unde.

32. XII. *Fit sequestratio beneficii, et fructuum ejus, quando contra ejus possessorem apud Sedem apostolicam fuit promulgata una sententia diffinitiva.* — XII. Debet per ordinarium loci fieri sequestratio beneficii ecclesiastici, et fructuum beneficialium, postea reddendarum obtinenti finalem in causa victoriam, quando contra possessorem beneficii apud Sedem apostolicam dumtaxat in petitorio vel possessorio promulgata fuit una diffinitiva sententia super ipso beneficio (dum tamen triennio pacifice antea ab eo possessum non fuerit) quamvis ab hac sententia appelletur. Patet hoc ex Cl. un. h. t. ubi aperte sic habetur decisum.

33. XIII. *Fit sequestratio ob timorem scandali.* — XIII. Fit sequestratio ob timorem scandali, vel metum ne partes litigantes veniant ad arma, arg. cap. 1, et II, de *Purgat. vulgar.* et l. *Æquissimum*. § 1, ff. de *Usufruct.* Nam quia iudicis est, obviari malis et scandalis; nec parti debet ad arma et rixas procedere illos, quod jurisdictione sua componere potest: hinc stantibus talibus periculis potest ex officio suo nobili rem controversam sequestrare apud tertium, atque a partibus probationes exigere, et juxta harum merita pronuntiare. Abbas in cit. c. *Dilectus*. n. 12, h. t. Pirhing eod. n. 12 et alii.

34. XIV. *Et non perdatur occasio vendendi rem litigiosam, quæ servari nequit.* — XIV. Sequestratio fieri potest, ne alioquin perdatur occasio vendendi rem litigiosam, quæ servando servari nequit: sicque peritura sit, nisi vendatur, l. *Si Oleum*. ff. de *Dolo malo*. Hostiensis in Summa. h. t. n. 4, post Goffredum.

§ II.

DE REQUISITIS AD SEQUESTRATIONEM, ET NONNULLIS ALIIS HANC CONCERNENTIBUS.

35. *Ut iudex mutuo proprio, seu ex officio nobili, procedat ad finiendam sequestrationem, requiritur causa publica.* — Quæritur I. Quæ requirantur ut iudex possit procedere ad faciendam sequestrationem? Resp. I. Ut iudex motu proprio, seu ex officio nobili, procedat ad faciendam sequestrationem, requiritur aliqua gravis et publica causa, redundans in bonum commune reipublicæ, conformiter dictis supra n. 33.

36. *Et quæ requirantur, ut ad eam iudex procedat ex officio mercenario?* — Resp. II. Ut iudex ex officio mercenario, sed ad petitionem partis, procedat ad sequestrationem faciendam, potissimum requiruntur quatuor; ut notat card. Tuschus in litt. S. concl. 203, n. 2, citans Guidon. Pap. decis. 246. et Decium consil. 366, n. 13, et Rebuffum de *Sequestrat.* 1, Glossa 2, n. 3, idemque tradit Pirhing h. t. n. 15, post Mynsinger, cent. 2, observat. 11 et Vultejum lib. II, *Jurisprud. Rom.* cap. xxx, § 6. Quia enim sequestratio, regulariter est prohibita, l. un. C. de *Prohibita. sequestrat.* ac permessa solum in casibus specialibus a jure expressis: ideo, qui vult apponere vel obtinere sequestrationem debet probare se esse in casu exceptuato, et permissio a jure. Card. Tuschus loc. cit. concl. 202, n. 2, citans alios. Ad hoc autem probandum plura requiruntur, et præsertim quatuor mox enumeranda.

37. *Et quæ requiratur, ut ad eam iudex procedat ex officio mercenario? Debet ad ipsam citari pars adversa, in cujus præjudicium petitur sequestratio.* — Primo quidem, ut iudici saltem summarie constet de jure petentis sequestrationem. Secundo, ut citetur debitor, seu pars adversa, in cujus præjudicium postulator sequestratio: alioquin ea non valet. Jason l. *Si fidejussor*. § *Si satisdatum*. n. 10, ff. *Qui satisfac. cogant.* id limitans, nisi periculum sit de fuga debitoris, secundum Innocentium in c. *Significavit. de Testib.* Ubi autem non est timor fugæ debitoris, non valet sequestratio, nisi pars citetur, ut videre possit eam fieri: siquidem sequestratio est species cujusdam executionis; et quia pars cæteroquin lædi posset, ideo debet citari, ut l. *Nam ita Divus*. ff. de *Adoption.* et l. *De unoquoque*. ff. de *Re judicat.*

38. *Et quæ requirantur, ut ad eam iudex procedat ex officio mercenario? Debet ad ipsam citari pars adversa, in cujus præjudicium petitur sequestratio.* — Tertio ad faciendam sequestrationem officio mercenario iudicis requiritur, ut eam postulans juret de calumnia: hoc est, ut juratus affirmet se non calumniæ, aut æmulationis gratia, sed pro suo jure conservando ipsam petere. Quarto, ut adsit aliqua suspicio contra debitorem, puta, quod alioquin dilapidatis v. g. bonis non esset satisfactio præstiturus: nam cessante tali suspicione contra debitorem, vel præstita idonea cautione, non esse sequestrationem faciendam, illico magis declarabitur. Unde

39. *Remedium juris evitandi sequestrationem regulariter est cautio sufficiens de restituenda re litigiosa.* — Quæritur II. Utrum suppetat aliquod remedium juris evitandi sequestrationem in casibus supra specificatis? Resp. affirmative. Nam tale remedium regulariter est sufficiens cautio, seu satisfactio de restituenda re litigiosa, vel fructibus ipsius, in casu quo pars adversa finalem obtinuerit victoriam. Patet hoc ex l. *Senatus-Consulto*. ff. *Qui satisfac. cogantur*; Abbas in c. *Dilectus*. n. 19, h. t.; Felinus in c. *Examinata* n. 10, de *Judiciis*; Sannig h. t. cap. IV. n. 1, et alii.

40. *Imo per hanc etiam tollitur sequestratio facta.* — Atque hoc extenditur adeo, ut sequestratio jam facta denuo revocetur, seu tollatur per ejusmodi sufficientem cautionem, ut puta, fidejussionem: dummodo datus fuerit fidejussor idoneus. Patet hoc ex l. *Si fidejussor*. § fin. ff. *Qui satisfac. cogant.* et notat Bartolus ibid. in Summario Oldradus consil. 24, in princ. Card. Tuschus litt. S. conclus. 212, n. 1, citans alios.

41. *Fallit hoc in nonnullis casibus.* — Additur notanter in data conclusione, « tæ remedium regulariter est. » Fallit enim in nonnullis casibus, utpote in quibus vel ejusmodi cautio, et satisfactio non habet locum, vel per eam non sufficienter providetur incommodis. Sic fit in Clem. un. h. t. ubi, ne vitiosus possessor (id est, ille, qui in Romana curia jam reportavit unam sententiam diffinitivam sibi contrariam, sicque præsumptive censetur possessor vitiosus) possessioni beneficii ecclesiastici ulterius incumbat, præbeaturque materia illicitæ occupationis, locum non habet satisfactio; sed per ordinarium loci interrim sequestrandum est beneficium in aliam

idoneam personam, quæ plenam de ipso curata gerat, ejusque jura exerceat. Textus, et Glossa ibid. §. *Beneficium*. Abbas loc. cit. n. 24; Felinus, ubi supra, subjungens quasdam alias hujusmodi fallentias, ac præsertim illam, quando fit sequestratio ob timorem scandali: nam timor ille per satisfactionem non tollitur.

42. *In sequestratione necessaria non transit possessio rei sequestrate in sequestrum?* — Quæritur III. Utrum possessio rei sequestrate transeat in sequestrum? Resp. I. Loquendo de sequestratione necessaria, seu auctoritate iudicis facta, conveniunt doctores per eam non transferri possessionem in sequestrum. Ratio est, quia hæc fit solummodo custodia causa: ut c. *Dilectus*. h. t. et l. *Possideri autem*. § fin. et l. *Interesse puto*. ff. de *Acquirend. possess.* cum concordantiis. Felinus in c. *Examinata*. n. 10, et Abbas ibid. n. 14, de *Judiciis*: quanquam Barbosa in cit. c. *Examinata*. n. 10, allegans plures alios, recte istud limitet, nisi expresse per iudicem actum fuerit, et transeat possessioni sequestrum. Hoc ipsum, atque sub eadem limitatione, tradit Bartolus in cit. l. *Interesse*. § *Item quero*. ff. de *Acquirend. possess.* dictam limitationem probans ex cap. 1, de *Sequestrat. possess.* ubi apparet aliam fuisse voluntatem iudicis, seu Papæ sequestrationis.

43. *Idemque dicendum esse in sequestratione voluntaria, probabilis est.* — Resp. II. Probabilis est, quod etiam in sequestratione voluntaria non transeat possessio in sequestrum quoties non de possessione ipsa, sed solum de proprietate contenditur: nisi aliud fuerit expressum. Ita Felinus in cit. c. *Examinata*, n. 10. de *Judiciis*, allegans pro se Franciscum Aretinum, ibid. Idemque tenet Zoësius h. t. r. 3, et tit. *Depositum*. ff. n. 33; Pirhing h. t. n. 2, contra Glossam in cap. 1, §. *Sequestrari* et Abbatem ibid. n. 19, h. t.; Bartolum in c. *Interesse*. ff. de *Acquirend. possessione*; Alexandrum, consil. 94, n. 3, vol. 3; Gailum, lib. I, *Practic.* observat. 148, n. 8, et Barbosam in cit. c. *Examinata*, n. 10. de *Judic.* ubi ait doctores communiter distinguere inter sequestrationem voluntariam, seu de consensu partium factam, in qua inquirunt possessionem transire in sequestrum, juxta l. *Licet*. § *Rei depositæ*. ff. *Depositum*: et inter necessariam, quæ fit jubente iudice, et in qua negant possessionem transire in sequestrum, nisi id expresse actum fuerit l. *Interesse*. ff. de *Ac-*